

proprie denominat auxilium actu efficiens, ut est ab ipso, non ut est a libero arbitrio, sicut ipsum etiam arbitrium denominat efficiens, ut est ab ipso, non ut est ab auxilio. Et ideo sæpe monemus dicendum non esse, etiam juxta hanc sententiam, auxilium prævium fieri efficax a libero arbitrio, sed solum non fieri efficax sine concomitantia liberi arbitrii, nam formaliter non fit, vel potius non denominatur efficax nisi per suum influxum; hunc autem non præbet, nisi influente simul libero arbitrio.

*Principium meriti non cadit sub idem meritum, et meritum debet antecedere præmium, non subsequi.* — Secundo, et facilius hoc declaratur juxta nostram sententiam, quod auxilium præveniens in sua prioritate (ut sic dicam) et antecessione sit et vere denominetur efficax, eo quod detur per vocationem congruam et accommodatam, ut infallibiliter habeat effectum, et etiamsi ex intrinseca sua natura non habeat determinare voluntatem ad unum. Quamvis enim in re ipsa vocatio congrua non habeat postea effectum sine concursu liberi arbitrii, nihilominus effectus postea secutus non est, nec fuit ratio meritoria, ob quam talis vocatio congrua homini data est, quia hic etiam locum habet illud axioma, principium meriti non cadere sub idem meritum, et meritum debere antecedere præmium, non subsequi. Quamvis enim Deus aliquando dederit aliquod præmium ex præviso merito ante executionem ejus, illud fuit singulare in Christo Domino, quoad gratiam propter ipsum collatam hominibus ante adventum ejus; temerarium autem esset hoc extendere ad primam gratiam, seu vocationem congruam quæ homini datur; nam licet detur ut per eam homo bene operetur, non tamen ideo datur quia per illam bene operaturus est, ut Augustinus recte docuit, in dicta quæstione secunda ad Simplicianum, et aliis supra citatis. Neque est ullus ex auctoribus, qui nostram sententiam sequuntur, qui aliud sentiat de vocatione efficaci, nisi quod gratis detur et absque ullo nostro merito. Imo etiam illi qui nolunt illam vocari efficacem donec faciat, fatentur dari a Deo eo modo et tempore quo præscivit infallibiliter habituram effectum; et similiter profitentur hoc non posse provenire ex merito hominis, sed ex sola benevolentia Dei, ut videbimus capite sequenti. Ergo nulla probabili consecutione. assertitur primam gratiam auxiliantem cadere sub meritum hominis, eo quod

determinatio ad sequendam illam posita sit in libertate hominis.

*Non sequitur meritum ex solis viribus nature. — In quo sensu nullum sit inconueniens admittere meritum primæ gratiæ sanctificantis.* — Ex quibus evidenter etiam constat non sequi ex illa sententia meritum gratiæ sanctificantis, nisi quatenus illud admittit vera vel saltem probabilior Theologia. Nam imprimis non sequitur meritum ex solis viribus nature; quia illa determinatio ad consentiendum vocationi non est ex nature viribus, sed ex ipsa vocatione, et adjuvante gratia; unde in se actio infusa et supernaturalis est, licet simul fiat a libero arbitrio. Deinde non sequitur meritum de condigno primæ gratiæ sanctificantis; quia ut determinatio illa sit meritoria de condigno, non satis est quod sit libera et supernaturalis, sed oporteret ut procederet a supposito grato, quod non habet, quando ratione illius infunditur prima gratia sanctificans. Ergo ad summum sequitur hanc determinationem esse meritoriam de congruo primæ gratiæ sanctificantis, quando est effectio ultimæ dispositionis ad eandem gratiam justificantem. Et in hoc sensu nullum inconueniens est admittere meritum primæ gratiæ sanctificantis, sed est plurimum et gravium Theologorum sententia, satis conformis Augustino et rationi, sine ullo præjudicio beneficii gratiæ. Nec vero hoc meritum de congruo sequitur specialiter ex hac sententia de dependentia nostræ determinationis a nostra libertate; nam quacumque ratione defendatur (prout necesse est juxta fidem defendi) ultimam dispositionem ad gratiam esse supernaturalem, et ordine nature præviam ad justificationem, consistet meritum de congruo primæ gratiæ justificantis, sive ante hanc dispositionem præcedat determinatio voluntatis a solo Deo facta, sive non, dummodo (ut etiam necessarium est) dispositio maneat libera. Qui ergo illa duo simul conjungere potuerit, scilicet, quod præcedat determinatio a solo Deo facta, et nihilominus quod actus qui est dispositio libere fiat, facile poterit admittere hoc meritum de congruo, etiamsi sententiam nostram de determinatione liberi arbitrii non teneat. Signum est ergo non sequi specialiter hoc meritum ex hac nostra sententia, sed solum ex conditionibus talis dispositionis, in quibus fundatur lex divina de infallibili consecutione gratiæ post talem dispositionem. Unde etiam e contrario si quis opinatus fuerit hoc non sufficere ad

meritum de congruo sine prævia sanctitate personæ, consequenter etiam poterit negare hoc meritum, etiamsi determinatio voluntatis ad suam conversionem ab ejus libertate pendeat. Et hoc modo non habet illud consequens necessariam connexionem cum nostra sententia; nos autem illud admittimus, quia et verum esse existimamus, et juxta vera principia recte sequitur ex libertate supernaturalis dispositionis vel determinationis.

## CAPUT XI.

QUO VERO SENSU EXPLICARI POSSIT QUI DIXERIT  
GRATIÆ AUXILIUM INFALLIBILITER DARI BENE  
CONANTI PER LIBERUM ARBITRIUM.

*Instantia adversariorum contra Molinam.* — Contra doctrinam superioris capitis, et præcipue contra Doctorem Molina instant adversarii, urgentes quædam verba ejus in Concordia, disp. 10, in principio, quibus sentire putant dari aliquod opus extra gratiam, et ex solis viribus nature factum, ad quod infallibiliter sequitur gratia gratum faciens. Verba Molinæ sunt: *Quotiescumque liberum arbitrium ex suis viribus naturalibus conatur, præstove est ad conandum totum id quod ex se potest, tam circa ea quæ fides habet addiscenda et amplectenda, quam circa dolorem de peccatis ad justificationem, a Deo conferri gratiam prævenientem, auxiliumque quibus id faciat quod oportet ad justificationem.*

*Respondetur ad instantiam.* — Ad hanc vero instantiam respondemus imprimis, esto accidisset ut hic auctor in illo vel alio loco minus vere sensisset de merito primæ gratiæ, non propterea vel minimum lædi, vel labefactari veritatem aliam, ab eodem auctore, et a nobis defensam de influxu libero nostri arbitrii in ipsamet determinationem ad consensum. Quia ex hoc principio non potest recte inferri error aliquis circa meritum primæ gratiæ, ut præcedenti capite evidenter declaratum est. Quod si quis forte, bene sentiens de libera determinatione, ex aliis falsis principiis, vel ex veris male applicatis decipiatur circa meritum primæ gratiæ, vel in quocumque alio puncto ad sinceram doctrinam de Dei gratia pertinente, non propterea debet infamiam vel calumniam sententia illa de modo efficaciæ vocationis congruæ, et libero influxu necessario ad determinationem voluntatis, de quo puncto nunc solum tractamus. Quid enim vetat Doctorem aliquem be-

ne et Catholice in uno et in multis puncti alicujus materiæ sentire, et in uno vel in altero labi? aut cur hujusmodi lapsus in infamiam totius doctrinæ redundabit? Quod non ideo admonemus, quia in hoc puncto censeamus esse necessarium, sed ut occurramus adversariis, qui ex quocumque verbo quod fortasse alicui ex auctoribus nostris tanquam homini excidit, totam nostram doctrinam suspectam et invisam reddere conantur.

*Ab errore defenditur Molina, et verus prædictorum verborum sensus declaratur.* — Verumtamen, ut religiosum virum, cujus vitæ pietatem, et veræ ac catholicæ fidei sanctum et pium zelum oculis conspeximus, et manibus contrectavimus, ab errore defendamus, verum ejus sensum in illis et similibus verbis (quamvis ad præsentem causam necessarium non sit) explicabimus. Primo igitur illa verba non recte accommodantur contra secundam assertionem a nobis positam, cap. superiori, quia in illis non loquitur Molina de gratia sanctificante, sed de gratia præveniente auxiliante. Ibi ergo non affirmat dari aliquod opus solis viribus nature factum ad quod sequatur infallibiliter gratia justificans, sed ad summum gratia præveniens, seu auxilians. Unde disputat. septima et octava ipsemet docuerat actus fidei, spei, charitatis et penitentiae, prout necessarii sunt ad justificationis gratiam obtinendam, non posse fieri a libero arbitrio solis naturalibus viribus, quæ est definitio Concilii Tridentini, cum Milevitano et Arausicano.

*Objectio.* — Dicitur fortasse, esto in illis verbis non asserat ex naturali opere sequi immediate infusionem gratiæ sanctificantis, ex illis tamen elici, saltem mediate esse infallibilem connexionem inter opus viribus nature factum, et infusionem gratiæ sanctificantis. Quia posito illo opere datur præveniens, et data gratia præveniente, homo se disponit proxime, et media hac dispositionem statim infunditur gratia.

*Refellitur.* — Nullum est opus, ex solis viribus naturalibus liberi arbitrii factum, quod congruam vocationem seu auxilium præveniens efficaciter infallibiliter obtineat. — Sed hæc collectio nimis est infirma, et ideo falso etiam Molinæ imponitur, quod asserat, cum opere facto ex solis naturalibus viribus liberi arbitrii, habere gratiam sanctificantem infallibilem consecutionem etiam mediate. Quia illa propositio in qua nititur hæc illatio, scilicet: Posita gratia excitante præveniente ponitur proxima dis-



positio ad infusionem gratiæ sanctificantis, non est infallibilis, sed incerta et contingens, quia post prævenientem gratiam necessarius est influxus liberi arbitrii, ut sequatur opus proxime disponens ad veram sanctitatem, et hic influxus non est infallibilis, sed potest non poni pro innata libertate. Item quia non omnis gratia præveniens est efficax; consensus autem seu proxima dispositio ad justitiam non sequitur infallibiliter ex gratia præveniente, nisi efficax sit. Quamvis autem Molina dicat, quoties liberum arbitrium ex suis viribus probe conatur quantum potest, dari a Deo auxilium præveniens, non tamen dicit dari auxilium efficax, sed generatim loquitur, et ex his quæ subjungit potius declarat solum esse sermonem de auxilio sufficiente; quia suæ sententiæ rationem reddens ait: *Ut ea ratione dum essemus in via semper in manu liberi arbitrii nostri posita esset salus nostra, per nosque ipsos staret quod ad Deum converteremur*: et subjungit: *Quod sicut Deus semper præsto est per concursum generalem libero arbitrio, ut naturaliter velit aut nolit prout placuerit, ita præsto illi est per auxilium gratiæ sufficiens, etc.* Igitur, ex sententia Molinæ, nullo est opus, ex solis viribus naturalibus liberi arbitrii factum, quod congruam vocationem seu auxilium præveniens efficax infallibiliter obtineat, quia nulla extat lex, vel principium ex quo possit hoc probabiliter inferri: ergo nullum est tale opus ad quod infallibiliter sequatur gratia sanctificans, vel immediate, vel mediate. Deinde addo in citatis verbis Molinæ nihil contineri contrarium assertioni nostræ primo loco positæ in capite præcedenti, cum in illis non asserat Molina naturale opus esse meritorium talis gratiæ primæ, vel esse causam ejus, aut necessariam, aut per se sufficientem in aliquo genere; quin potius oppositum expresse declarat his verbis statim subjunctis: *Non quidem quasi ex conatu dignus efficiatur talibus auxiliis, ullaque ratione ea promereatur, sed quoniam id obtinuit nobis Christus ob sua merita: atque inter leges, quas tam ipse quam Pater æternus statuerunt de auxiliis et donis, quæ Christus nobis promeruit mere gratis conferendis, una eaque rationi maxime consentanea fuit, ut quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere quod in nobis est, præsto nobis essent auxilia gratiæ quibus ea ut oportet ad salutem efficeremus.* Per quæ verba diserte negat omne meritum nostrum prævenientis auxilii per naturale opus, quantumcumque posito

tali opere infallibiliter detur auxilium, nam datur tantum ex merito Christi, non ex merito hominis, sed respectu nostri mere gratis.

*Initium salutis ex gratia, et non ex libero arbitrio.* — Unde etiam non sentit illum bonum motum naturæ esse dispositionem vel conditionem necessariam, ut Deus præbeat hoc auxilium, nam ut inferius subdit: *Deus sæpe liberum arbitrium quasi sopitum excitat et pulsat, longeque majoribus auxiliis adjuvat*; et inferius addit: *Deum pulsare ad ostium cordis, non solum quando se apta occasio offert, sed etiam quando torpens ac pigrum nostrum prospicit arbitrium.* Unde in disputat. nona inde concludit initium salutis esse ex gratia, et non ex libero arbitrio: *Quia liberum arbitrium, nisi a Dei auxilio gratia sua præveniatur, nihil efficere potest solis suis naturalibus viribus, quod sit alicujus meriti, aut vigoris respectu prævenientis auxilii.* Et declarat hoc non solum esse verum in homine nullo modo vocato interius et exterius, nec in supernaturalibus rebus instructo, sed etiam de homine qui exterius vocatur ad audiendam fidei prædicationem, vel de facto illam audit. Nam etiam ille, nisi interior illuminatio et motio præcedat, nihil poterit facere, propter quod talis illuminatio et inspiratio ei detur. Ac denique in disputat. sexta dixerat liberum arbitrium operans cum solo concursu Dei generali nihil efficere posse, *quod sit non solum meritorium, sed neque commensuratum ad finem supernaturalem, etiam tanquam remota dispositio ad gratiam.* Quis ergo audeat, contra tot expressa verba et manifestas declarationes, tam apertum errorem tam gravi et Catholico Doctori imponere?

Sed aiunt esse contradictionem in illo Doctore, nam, quod verbis negat, re ipsa docet, dum ait, *ex lege Dei his conatibus infallibiliter gratiam conferri*, quia nihil est aliud promereri ex lege Dei hujusmodi gratiam, quam ex lege Dei et propter merita Christi ex operibus naturæ gratiam adipisci; hujusmodi enim loquendi formulis uti solent, easque tribuunt huic auctori, qui ei hunc errorem impingere student; sed imprimis tenenda est proprietas verborum, nam ex ordinate prolatis incurritur hæresis. Nunquam ergo in libris Molinæ lector reperiet conatibus naturalibus gratiam conferri, sed solum, bene conanti quantum potest, præstari auxilium ut operetur sicut oportet, quæ duo valde diversum reddunt sensum; nam priora verba indicant retributionem vel commensationem

gratiæ ad opus naturæ; tunc enim dicitur alicui operi aliquid dari, quando vel opus est dignum tali mercede, vel saltem dispositio congrua et commensurata ad illud donum. Neutrum autem in præsentem invenitur vel asseritur, sed solum, in eodem subjecto esse rationem aliquam infallibilis consecutionis inter tale opus et talem gratiam. Quam consecutionem pure significant posteriora verba, scilicet, *Operanti hoc datur illud*, nullam indicando rationem meriti vel dispositionis.

*Nunquam in libris Molinæ reperitur gratiam præstari ex operibus naturalibus.* — Similiter nunquam lector inveniet in libris Molinæ gratiam præstari ex operibus naturalibus, vel propter opera naturalia, imo oppositum mihi constat ab ipso et viva voce et litteris manuscriptis fuisse declaratum, sed solum, posito tali opere dari tale donum. Quæ sunt simili modo diversa; nam illæ particulæ *ex*, vel *propter* indicant rationem et causam propter quam datur gratia, et illæ dicitur esse naturale opus, quod ad reliquias Pelagii pertinet. Simplex autem consecutio esse potest per alia extrinseca principia, etiamsi unum non sit ratio vel causa alterius. Et in hujus puncti declaratione consistit solutio hujus objectionis, nam si potest esse consecutio sine causalitate, nulla erit contradictio, admittendo infallibilem consecutionem ex lege Dei inter tale opus et gratiam, negare meritum etiam impetratorium in tali opere respectu talis gratiæ, quia omne meritum aliquam rationem causæ habet, et suo modo per se, scilicet in genere moris.

Ut ergo hoc declaretur, suppono unum principium fidei certum, scilicet, Deum sua liberali et gratuita providentia ita disposuisse negotium salutis humanæ, etiam post lapsum primi hominis, ut voluerit propter Christum dare omnibus hominibus prævenientia auxilia necessaria ad salutem, quia hoc modo vult omnes homines salvos fieri, scilicet, quantum in se est, et quoad sufficientiam; et ita etiam *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et hoc modo est in potestate cujuscumque hominis salvari, quamvis non sit in potestate ejus inchoare negotium suæ salutis, quia Deus præsto est ad inchoandum illud per auxilium præveniens, quia semper est ad ostium et pulsat.

*Illatio.* — Ex quo principio optime sequitur, si contingat aliquem hominem nondum interius a Deo præventum supernaturali auxilio bene uti sua libertate, motum tantum na-

turali ratione, et illo naturali testimonio, quod ex creaturis et ordine universi accipi potest, Deum illi non defuturum, quin per auxilium suum ipsum præveniat. Non quia ille homo sic operando tale auxilium mereatur; nec quia tale opus sit dispositio aut mensura talis auxilii, sed solum quia Deus ex se paratus est ad pulsandum, et dum homo sic operatur, non ponit impedimentum divinæ illuminationi; ergo, quamvis illam non mereatur, nec se ad illam dispositive disponat, Deus infallibiliter illuminabit illum; nam si Deus id promisit vel decrevit, et nihil est quod impediatur, quid amplius expectandum est? Item quia causa efficiens, potens, et voluntaria, et efficaci decreto determinata ad agendum, si ex parte recipientis non est impedimentum, infallibiliter agit, nisi mutetur; at Deus mutari non potest; ergo, cum in eo casu cætera omnia concurrant, infallibiliter gratiam conferet.

*Deus neminem deserit, nisi prius deseratur ab ipso.* — Atque in hunc modum explicata hæc sententia fundat illam infallibilem illuminationem in solo liberali proposito Dei, communicandi suam prævenientem gratiam omnibus hominibus adultis propter Christum; reduciturque hoc fundamentum ad illud Catholicum dogma: *Deus neminem deserit, nisi prius deseratur ab ipso.* Nam ille homo qui bene utitur libero arbitrio juxta vires et rationem naturalem, licet non quærat Deum, eum non deserit, quia ipsum non offendit, nec pro tunc potest amplius facere; ergo nec Deus deseret illum; desereret autem nisi vocaret; ergo infallibiliter vocabit illum. Nec satisfacit qui dixerit jam supponi peccatum originale, per quod homo in suo primo parente Deum deseruit, quod de se satis est ut deseratur ab ipso. Hoc (inquam) nullo modo dici potest, nam dogma illud: *Deus non deserit hominem adultum, nisi prius deseratur ab ipso*, de homine jam lapsa profertur a Conciliis et Patribus; alias non posset talis homo desertus salvari, nec illi essent personalia peccata ad culpam imputanda, cum non esset in ejus potestate illa vitare.

Dices supponi in hac sententia posse hominem, non præventum a Deo per gratiam, solis conatibus naturalibus bene operari, et non deserere Deum, conservando se ab omni peccato mortali immunem, quod sapit Pelagium. Unde juxta sanam doctrinam non potest homo lapsus servare omnia præcepta, nec vitare omnia peccata, sine divina gratia.



Deinde, in eadem sententia sic declarata videtur supponi Deum expectare hominem, ut suo libero arbitrio bene utatur, ut eum illuminet aut vocet, quod est contra canonem primum Concilii Arausicani. Assumptum patet, quia si Deus non expectat, non potest dici Deum dare gratiam prævenientem bene operanti per vires naturales liberi arbitrii, sed excitare et illuminare omnes, sive bene, sive male utantur libero arbitrio.

Respondetur imprimis nos non definire nunc hanc sententiam ita explicatam tanquam veram, sed tantum vindicare illam ab errore et calumnia Semipelagianorum, quoad hoc ut non ponat meritum, nec dispositionem primæ gratiæ, non vero quoad omnia alia dubia, quæ ex illa emergere possunt, quia non pertinent ad nostrum institutum. Deinde dicitur non difficile posse expediri in illa sententia duo illa puncta quæ in objectione insinuantur. Ad primum enim dicitur quod, licet homo sine divina gratia non possit efficere pietatis opera (ut Patres loquuntur), quæ ad salutem æternam per se conferant, nihilominus juxta saniores Theologiam posse efficere per vires liberi arbitrii cum concursu generali aliquod opus bonum moraliter, et consentaneum rectæ rationi naturali. Et similiter, licet non possit vitare omnia peccata contra legem naturæ longo tempore, posse tamen vitare divisim singula, et ad brevissimum tempus posse etiam nullum peccatum committere.

*Respondetur ad objecta.* — Ad primam ergo objectionem respondetur primo, in ea sententia non supponi posse hominem longo tempore vitare omnia peccata, aut omnia præcepta naturalia implere per solos naturales conatus, sed solum posse aliquid, quicquid illud sit; nam si illud faciat, etiamsi sit minimum et brevissimi temporis, pie credi potest statim fore a Deo illuminandum, non ex merito hominis, sed ex liberali benignitate Dei. Dicit vero aliquis Deum ex vi illius generalis decreti illuminandi omnem hominem, non se obligasse ad vocandum unumquemque statim ac nullum ponit impedimentum, sed aliquando in vita quando ei placuerit. Respondeo verum esse non constare de tali lege infallibili Dei; nihilominus tamen qui ita interpretantur decretum illud, et de divina pietate ita sperant, ut non credant amplius differre vocationem suam erga talem hominem, nihil contra sanam doctrinam sentire, nec Pelagiani erroris argui posse; et in

suum favorem, non sine probabilitatis specie, afferre posse D. Thomam 1. 2, quæst. 84, art. 6.

*Aliter prædicta difficultas expenditur.* — Aliter vero et fortasse verius et facilius hæc difficultas expenditur, dicendo, ut faciat homo quod in se est per liberum arbitrium, non oportere ut omne peccatum evitet, sed solum ut id faciat quod moraliter potest, antequam a Deo præveniatur. Aut enim Deus prævenit omnes homines per actuales motiones supernaturales, statim ac perveniunt ad usum rationis, antequam quidquam vel mali operari valeant, vel non. Qui primum dixerit, non dabit locum illi axiomati in illo sensu intellecto: Facienti quod in se est, scilicet, per liberum arbitrium, Deus non denegat gratiam, utique vocationis, quia nunquam sinit Deus hominem nondum præventum libere operari. Tamen hæc hypothesis, sicut impossibilis non est, ita nec est necessaria, nec fundamentalis in Scriptura vel alia gravi auctoritate, et videtur esse contra experientiam, quantum in hac materia haberi potest. Denique cum de hoc non sit lata lex, et Deus libere vocet quemdam summo mane, alios hora tertia, sexta, nona, vel undecima, quis id affirmare audeat? Probabile ergo est non statim Deum vocare omnes in primo instanti, vel tempore usus rationis; relinquit ergo multos homines aliquo tempore operari per solas vires liberi arbitrii.

*Quando homo dicatur facere quod in se est, et e contra.* — Igitur intra illud tempus aliquid possunt homines, non solum physice, sed etiam moraliter, tam in operando morali bono, quam in vitandis peccatis contra legem naturæ, sive illud quod possunt minus sive majus sit: ex decem occasionibus peccandi, quæ verbi gratia occurrunt, tantum unam, vel alteram ex levioribus vitare. Nam quod aliquid possint, nos ut certum supponimus; ergo necesse est ut moralis illa potentia aliquem terminum habeat, quem Deus saltem cognoscit. Si ergo illud faciat homo quod hoc modo potest, dicitur facere quod in se est, etiamsi non omnia peccata vitet, quæ simpliciter et absolute vitare potest, et revera illi imputentur ad culpam non obstante magna difficultate vitandi illa. Unde e contrario ille homo dicitur non facere quod in se est, qui non solum peccat, ut homo fragilis, sed etiam ut homo dissolutus elicit peccata, ut erant illi gentiles quos describit Paulus ad Romanos 2.

Quando ergo homo pro eo tempore, quo nondum est a Deo supernaturaliter vocatus, hoc posteriori modo vivit, et abutitur lumine rationis et naturali libertate, quantum in se est ponit impedimentum toti gratiæ, et fortasse ob eam rem multi relinquuntur a Deo per totum vitæ tempus absque ulla supernaturali motione actuali. Quamvis statuerit illuminare omnes, quantum in se est, moraliter, non tamen absolute se obligavit, aut promisit id facere vel inchoare, etiamsi homo maximum impedimentum apponat; nulli enim talis Dei promissio aut decretum absolutum in Scripturis legitur, nec est aliquod aliud principium unde sufficienter colligatur. At vero si homo in illo priori tempore, quo nondum est vocatus a Deo supernaturaliter, honeste, vel, ut sic dicam, moderate vivat secundum rectam rationem, etiamsi aliquando peccet ex humana fragilitate, dicitur facere quod in se est. Et de tali homine sine ullo periculo erroris creditur quod, si aliquandiu ita vixerit, non deseretur a Deo, sed aliquando vocabitur per occasionem aliquam divina providentia et gratuita voluntate eligendam. Nam de tali homine merito dici potest non ponere impedimentum tali gratiæ; ergo cum Deus proposuerit omnes illuminare, quantum in se est, et respectu Christi de hoc legem et promissionem fecerit, satis verisimile est non negare effectum hujus promissionis illi homini, qui dicto modo se gerit circa usum libertatis suæ et rationis.

*Obiectio.* — *Respondetur.* — *Pie creditur Deum infallibili lege aliquando vocare omnes homines adultos.* — Unde si quis objiciat, quia per quodcumque peccatum mortale fit homo indignus omni beneficio Dei, præsertim supernaturali, et consequenter ponit impedimentum primæ gratiæ etiam excitanti; item, qui aliquando peccat mortaliter, non potest dicere facere quantum in se est in bono usu liberi arbitrii, quia in ipso erat vitare illud peccatum, alias non esset peccatum. Respondetur ad priorem instantiam, illud esse verum quantum est ex merito talis hominis, attenda mera ratione justitiæ; esse, inquam, verum quatenus est ex merito talis hominis; non tamen procedere quantum est ex parte Christi et promissionis Dei, nam Christus nobis meruit ut Deus etiam in hoc nostræ fragilitati condescenderet. Ideoque, licet omne peccatum de se sit sufficiens obstaculum, in quantum repugnat formaliter cum tali gratia vocationis, propter Christum fit ut de

facto non obstet, quominus certa et infallibili lege talem gratiam conferat sic operanti. Adde multum pie et probabiliter opinari, Deum infallibili lege aliquando vocare omnes homines adultos, quantumvis perditæ vivant et libertate naturali abutantur; cui opinioni Molina non contradicit, sed piam ac probabilem esse putat. Addit vero, esto illa tam generaliter non admittatur, saltem admittendam esse de illo homine, qui non ita male utitur ratione naturali, sed facit quod in se est modo et gradu explicato. Ad alteram vero instantiam, verum quidem esse illum hominem non facere quod in se est, in summo rigore loquendo, facere tamen quod in se est more humano, et juxta fragilitatem suam, et illa diligentia Deum esse contentum, ut contra hujusmodi non irascatur, usque ad denegandum illi primam gratiæ motionem.

*Deus non expectat bonum usum aut conatum liberi arbitrii ut hominem vocet.* — Ad aliud punctum de expectatione Dei, respondetur Deum non expectare bonum usum aut conatum liberi arbitrii, ut hominem vocet, nam sæpe prævenit hominem priusquam ullum liberum usum habeat, illuminando illum statim ac rationis usum habere potest, eumque excitando ut ad se convertatur; deinde sæpe vocat et excitat eum qui suo arbitrio pessime usus est longo tempore; ergo signum est Deum non expectare bonum usum ad præveniendum hominem. Tamen, sicut Deus hoc non expectat, ita ex vi illius generalis voluntatis illuminandi omnem hominem, non cogitur quamprimum, et sine ulla temporis dilatione, illuminare hominem in primo instanti usus rationis, sed differre potest in aliud tempus opportunum, juxta suæ sapientiæ dispositionem. Unde quamvis ex vi illius voluntatis paratus sit ad illuminandum omnes, non est tamen certum quod de facto omnes interiorius illuminet per actuales gratiæ motiones. Quia licet peccata non ita impediunt prævenientem gratiam, quin Deus eis non obstantibus excitet aversos et rebelles, nihilominus de se talia sunt, et tanta esse possunt, ut sufficienter impedire lumen gratiæ, et ut Deus contineat; seu non præbeat illas motiones.

Quod insinuavit Divus Thomas, 3 contra gentes, capite centesimo quinquagesimo nono, dicens: *Deus, quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare, vult enim omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, sed illi soli gratia privantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant.* Ubi